

ment. ad lib. de interpret., quando hoc signum à non-nullis vocatur signum ex beneplacito, quod non sit ita dictum, quasi homines pro lubitu & absque ulla ratione illa signa ad aliquid significandum ordinarint, sed ideo vocantur signa ex beneplacito, quia non significant ex sua natura, sed ex impositione hominum. Tertiò accipi solet signum pro eo, quod vel usu vel consuetudine rem aliquam significat, sicut mensa præparata denotat prandium, ita enim est in usu ut præparatâ jam mensâ prandeamus, ita etiam canis, qui sæpè consuevit antecedere in via suum herum, illum nobis ex consuetudine indicat & significat. Hæ autem acceptiones non sunt hujus loci.

TH. II. Sumitur igitur Signum hoc loco, prout nihil aliud est quam vox, quæ significat quam latè pars illa enunciationis, cui apponitur, sumatur, utrum pro omnibus suis inferioribus aut iis, de quibus dici potest, an pro aliquibus tantum. Dicitur in hac descriptione Signi, quod sit vox, quæ significat, ubi notandum, quod signum hîc non significet, prout supra fuit explicatum, quatenus nempe rem ipsam denotat aut significat, sed ut loquitur B. Horneius, significat aliquatenus, & ordinem & respectum dicit ad aliam vocem, ejusque significatum, nec simul rem ipsam denotat, sed ei tantum aliquid adsignificat, e. g. Omnis, Nullus, Aliquis &c. Hæc & similia nec hominem nec aliud, quid significant, sed ordinem dicunt ad aliam vocem nempe subjectum & ejus significatum, eiisque aliquid adsignificant, v. g. quando dico: Omnis homo est animal, tò Omnis hic non significat ipsum subjectum nempe hominem, sed ei tantum aliquid adsignificat nempe universalitatem, seu quod signum *Omnis* hîc summa-